

doxam nunquàm intueri potui sinè summâ admiratione, cùm flos perfectè referat pedem leonis aut aquilæ.

Hoc anno, post tot annorum laboriosa tentamina demùm obtinui fructificationem *Nitrariæ* Schoberi *, quæ in *Floræ Sibiricæ* Gmelini, tomo secundo, ad finem sub *Osyride* proposita est; cujus florem nullus in Europâ viderit, licèt in omnibus Hortis occurrat; nec ego obtinuissem, nisi adjecissem ei sal culinare. Planta est diversissimi generis ab omnibus aliis, calyce 5 phyllo, petalis 5, staminibus 15, pistillo 1, drupa monosperma, nucleo 5 loculari.

Explicârunt nostrates quâ fiat quòd in trunco *Pini* duplex sit substantia lignea : exterior alba mollis; interior magis fusca et resinosa; sed substantia hæc alba in aliis arboribus constat multis circulis annotinis (dùm transversè dissecatur truncus), in aliis paucis. *Pini* rami verticillatim prodeunt; pro singulo anno singulus verticillus. Quot verticilli ramorum fuère in arbore, totidem etiam sunt circuli annotini in ligno. Si, ex. gr., 20 ramorum verticilli, à radice sursùm numerando,

* SCHOBER (GOTTLÖB), de Leipsig, 1670-1759, médecin-inspecteur des pharmacies de Moscow.